

B. M. II, 167. DISSERTATIO JURIDICA

h. 45, 12.

De

X 1880 637



TUTELIS
PERSONARUM
ILLUSTRIUM,

QUAM

AUSPICE DIVINO NUMINE,
SUPERIORUMQUE INDULTU,

PRÆSIDE

DN. PAULO FRANCISCO
ROMANO,

J. U. D. Prof. Publ. & Facultat. Jurid.
Assessore,

*Dn. Præceptore ac Fautore suô quôvis honoris cultu
semper prosequendo,*

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

d. 26. Martii, AC. 1674.

Horis Locoque consvetis,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

proponit

LUDOVICUS FRIDERICUS ab HONSTEDE,
Eqves Auricâ Fris. Orient.

AUTOR & RESPONDENS.

LIPSIÆ,

Literis THIMOTHEI RITZSCHII.



A
SON ALTESSE
SERENISSIME,
MONSEIGNEUR,
MONSEIGNEUR,
CHRESTIEN
EBERHARD,
PRINCE DE LA
FRISE ORIENTAL,
SEIGNEUR D'ESENS,
STEDESDORF ET VVIT-
MUND &c. &c.



MONSEIGNEUR,



omme il ne s' est jamais
rencontré un Peuple qui
eut eu plus de veneration
pour son PRINCE que
) (3 celuy

celuy des PERSES, & qu' il étoit même ordonné par des loix, ou par ie ne sçay quelle coutume que personne n' osoit approcher de la MAJESTE du ROY sans quelques presents, tout de même aussi, qu' il étoit deffendu de se presenter devant l' Autel sans offrande, il est certain que les PERSES ont contribués en cela tout d' uu commun accord ce que la raison, & la religion commandent. Car sans doute que ceux là participent du service de DIEU, sur la tête desquels la Splendeur & la Majestè rejallissent. Voila pourquoy, MONSEIGNEUR, j' ay osé suivre l' exemple de cette nation, quoy que je ne pretendisse pas de m' égaler à vos serviteurs pour la conduite de l' Estat, je me vante neantmoins, de ne leurs rien ceder de la devotion que j' ay pour Vôstre ALTESSE, j' ay suivy
son

son exemple & me suis accommodé à sa ma-
niere, comme à une certaine loix que je recon-
noy pour elle depuis plusieurs années , mais
faute d'occasion j'ay été obligé de declarer
par juste devoir, l'humilité de mon coeur, n'
ayant peu rien produire qui meritast d'être
mis au jour: apres donc avoir fait jouër depuis
long têmes tous les ressorts de mon petit esprit,
pour me rendre capable d'executer ce que j'ay
eu jusqu'à present sur le coeur, l'occasion à ce
qui me semble s'est présentée assez heureuse-
ment aujourdhuy de pouvoir m'approcher de
Vôtre ALTESSE à la PERSIENNE, je veux di-
re un petit present de Papier que je consacre
aux pieds de Vôtre ALTESSE, avec autant de
sousmission que personne du monde : Il y a
encor bien d'autres raisons qui m'y ont por-

)C 3

tées

tées, car sans faire mention de la Magnificence
que V^ôtre ALTESSE exerce envers tous ceux
qvi appliquent leurs ames aux belles lettres, l'
abondance desbien faiets dont, il est constant
que feu MONSEIGNEUR V^ôtre PERE & sere-
nissimes Predecesseurs ont comblés mon pere,
& le comble en tout têmes de telle façon que je
ne trouve paroles qvi puissent dignement con-
tribuer à la reconnoissance que je luy vou-
drois bien ébaucher : puisqve j' ay plûtôt
choily la matiere de cette dispute que toute
autre, c' a été la Tendresse de l' Aage ou V^ô-
tre ALTESSE se voit presentement, avec tant
d' eclat, qu' il s' est attiré toute la reflexion
touchant ses choix j' aioute le voëu que je fay
d' un Zele ardent pour la prosperité de V^ôtre
ALTESSE, aussi bien que pour celle de Son
AL-

ALTESSE MADAME la PRINCESSE, & pour
toute la Serenissime MAISON de la FRISE
ORIENTALE, que de Pupille Vòtre ALTESSE
devienne grand Defenseur de l' Eglise, Cle-
ment, & Auguste de la Patrie. Pour moy
je m'estimeray bien heureux si Vòtre ALTES-
SE par la benignité de Son naturel, regarde de
bon oeil la premiere portée, de mon esprit a-
vec une adoration toute particuliere, & un
attachement qvi engage entierement l'ame,
& si elle deigne d' investir le fils de la Cle-
mence dont elle a fait comme fief à la per-
sonne du pere. Car en offrant ces theses à
MONSEIGNEUR je Luy presente ma per-
sonne avec toute la sousmission dont est
capable un coeur devotieux, suppliant
MON-

MONSEIGNEUR de la vouloir agreer
comme un signe d' obeissance, & de m' accor-
der par ce moyen la permission de me dire
toute ma vie

MONSEIGNEUR,

Vôtre tres humble & obeissant
de tous Vos valet

Faite à Leipzig le
26. Mars, l' Année 1674.

LOUIS FRIDERIC de HONSTEDÉ,



I N J.

DISSERTATIO JURIDICA,
DE
TUTELIS
PERSONARUM ILLUSTRIVM.

§. I.



Vanquam videri poterat PERSONAS ILLUSTRES tutelâ non indigere, cum non tantum propter generosam, quæ ipsis innata est, indolem, atq; accedentem accuratam educationem annos maturioris iudicii plerumq; repræsentent, sed & latera ipsorum prudentibus ac fidis Consiliariis ita sint stipata, ut absq; sollicitudine atq; opera tutorum satis feliciter ac tranquillè possint vivere: Consultius tamen atq; magis è re ipsarum visum fuit, absq; tutoribus imprimis potentia atq; autoritate pollentibus eas non relinquere, ut scil. tantò firmiores defensores habeant, quos & ipsi impuberes, & alii simul, à quibus damnum pati possunt, vereantur.

§. 2.

Hæc autem TUTELA defini potest: *Vis & Potestas in impuberem Illustram ad tuendum eum.* Quamquam autem aliàs controversum sit, an duo ista genera in definitione simul stare possint, item, an non tutela jus potius, quam vis dicenda sit, quia violentæ coactionis expers esse debet: Ea tamen ductu Imperatoris nostri in §. 1. *J. de tut.* conjunctim retinemus. Neq; enim novum est, ut uni definito duplex genus attribuat, præsertim quando unum ab altero non multum differt, neq; causa apparet, cur Theoph. jus pro vis legentis mentem magis, quam ipsius Imperatoris sequamur, cum præsertim lectio hæc §.

A

2. d. r.

2. d. t. confirmetur *Glossæq; Basilica* eam approbent, & vis ac potestas non aspera, sed blanda saltem atq; amicabilem intelligi debeat.

§. 3.

Vocabulum ILLUSTRIS aliter hoc in loco sumitur, atq; jure Civili. Ibi enim quinque gradus dignitatum commemorantur, super-Illustrium, Illustrium, spectabilem, clarissimorum atq; infimorum. Sed sicuti gradus isti olim etiam non semper constantes fuerunt, ita hodie quoque insignis circa ipsos mutatio contigit, & *Illustrium* nomine veniunt non tantum *Barones, Comites, Landgraffii, Marggraffii*, sed ipsi quoque *Principes*. Inditus ipsis propterea hic titulus videtur, quia plerumque majores illorum summis dignitatibus atq; officiis egregiâque operâ pacis & belli temporibus pro republica navata splenduerunt. Confer *Limn. de Jur. Publ. l. 4. c. 6. n. 44. seqq.* Atq; hæc quidem posterior significatio est hujus loci.

§. 4.

Ultima definitionis verba finem tutelæ & simul officium Tutoris explicant. Sicuti enim omnis tutela, adeoque & hæc nostra pupillorum gratia constituta; Ita quoque ad eorum utilitatem tota referenda est. Præterea tutelam à P. potestate, quam Illustres pariter ac plebei in liberos exercent, distinguunt, ea enim magis ad patrum, quam pupillorum favorem atq; utilitatem est comparata, & ampliorem potestatem & vim comprehendit. Sed & illud docent, quod tutor primariò personæ & rebus tantum in consequentiam præponatur, in quo tutoris officium ab eo differt, quod curatorum imponitur.

§. 5.

Notum est dividi vulgo tutelam in tres species, Testamentariam, Legitimam & Dativam, *l. 52. C. de Episc. & Cleric.* Illa est, qua parentes liberis suis impuberibus, quos in potestate habent, tutores in testamento constituunt. LEGITIMA dicitur, quæ testamētaria deficiente pupilli proximioribus agnatis & cognatis à lege immediatè defertur. Ita autem vocatur non oppositivè, quasi reliquæ species essent illegitimæ, sed eminenter, quia in ea
lex

lex maximè propriè operatur, & causam efficientem ejus remotam & proximam simul constituit. Deniq; DATIVA est, quam Magistratus defert. Atq; hæc quidem tutelæ secundū ordinem locum habent, ita ut ad ultimam non nisi anteriorib; deficientibus transitus concedatur: *l. ii. ff. de testam. tut. l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distr.* Cæterum definiendum nunc est, an hæc species omnes in personis Illustribus quoque locum inveniant? Quod reor, sive Ecclesiasticæ sint, sive seculares. Nullibi enim species aliqua sublata, atq; abolita est, sive jus publicum, sive feudale, sive ipsam quoque longam consuetudinem respicias. Unde probabile est, ea in parte juris civilis placita adhuc obtinere.

§. 6.

Quare & Illustribus integrum est, liberis suis testamento tutores constituere, sive patres sint, sive avi, sive ex serie aliorum ascendentium. Nec impedit, quòd tutorum potestas etiam in pupilli bona se extendat, ea autem à tali testatore per testamentum alii deferri posse non videatur, cum patrimonialia Illustrium plerumque in rebus feudalibus consistant, in quibus omnis testamentaria dispositio prohibita, *l. f. 8. in pr.* Prohibitio enim tum demum locum habet, quoties de feudi alienatione atq; translatione in alios cum præjudicio Principis aut agnatorum agitur, quod tali casu non contingit.

§. 7.

Datio ista vel perfecta est, quæ ope alienâ non indiget, vel imperfecta, quam auxilium Magistratus confirmat. Quod jure communi adhiberi solet tum, quando pater filio emancipato, aut mater, quæ jus patrium non habet, testamento tutores constituit. Unde quæsitum est, an Mater Illustris quoque hoc modo dationem tutoris exercere queat? Et cum nec hæc in parte correctio adsit, non video, quæ de causa matri tale quid negari debeat. Concordat cum hac dispositione juris civilis etiam *jus nostrum Statutarium Frisic. Orient. lib. 2. Rubr. Wo die Morder im Testamente oir Kunder Voirmunder Nach setzen to oir Gueder. pag. 157. lat. 2.* Quanquam regula non ratio temperanda videatur, præsertim si appareat, matrem judicii infirmitate còductam esse, ut liberis suis tutores inidoneos selegerit.

Illud constat, jure veteri tutorem testamento injusto datum à magistratu confirmari, & tunc ad officium tutelæ admitti potuisse *l. 3. ff. de confirm. tut. Nov. quoq. 115. c. 3. in fin.* disposuit, ut quamvis institutio heredis interversa sit, tutorum tamen dationes non vitientur. Unde quæsitum est, an idem in testamento vitioso ab Illustri persona condito asserendum veniat? Quamquam autem tutius sit, ut Princeps nihil quicquam solennitatis requisitæ in testamento suo prætermittat, atq; eo modo occasionem ambigendi, & per hoc damnum dandi heredibus suis cautè ac prudenter præscindat, non improbabilis tamen illorum sententia videtur, qui existimant, tali casu testamentum nihilominus sustinendum, atq; tutorem eo datum à Summo Principe confirmandum esse ad exemplum *l. 2. C. de confirmat. tut.* Remitto me hac in parte ad *Besold. part. 6. consil. 273.* ubi omnium optimè sententiæ hujus causam orat.

De Imperii Electoribus summè controversum est, an testamento tutorem proximiori agnato præferre queant? Quamquam autem in testamentis aliorum Illustrium tale quid, præsertim si causa adsit, fieri posse sciamus, in Electorum tamen persona peculiare jus quoddam hac in parte statutum apparet in A. B. à Bartholo composita, atq; à Carolo IV. quoad partem anteriorem in comitiis Norimbergensibus Anno 1356. d. 9. Januar. promulgata, ubi hæc sanctio reperitur: *Et talis successio in primogenitis, & heredibus Principum eorundem, in jure, voce & potestate præmissis, perpetuis temporibus observetur, ea tamen conditione & modo, ut si Principem Electorem, seu ejus primogenitum, aut filium seniore laicum mori, & heredes masculos legitimos, laicos, defectum ætatis patientes relinqui contingeret, tunc frater senior ejusdem primogeniti, tutor eorum & administrator existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe Electore decem & octo annos completos censerimus, & statuimus perpetuò haberi; quantum exegerit, jus, vocem & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, tutor ipse sibi totaliter, cum officio teneatur protinus assignare. Inde enim omninò patet, Principes eiusmodi in tali*

tali officio proximiorum agnatorum præterire, atque loco ejus alii
 tutelæ officium deferre non posse. Quæ etiam communis Docto-
 rum sententia. Quandoquidem autem ea ex aduerso à multis
 quoque in dubium vocetur, sicuti ex scriptis Marquardi Freheri
 & Dion. Gothofredi, quorum ille in Aula palatina Consilarii, hic
 Antecessoris quondam Heidelbergensis primarii munus sustinu-
 it, aliorumve de hoc argumento in lucem datis videre est, ut
 non ineptum sit ea de re *judicium Limnæi observat. 21. ad d. text.*
A. B. quod scilicet Imperator paucis verbis omne dubium tollere
 potuisset, modo fecisset, existimaverim ego non inconcinnè pro
 conciliando isto divortio adhiberi posse distinctionem *Setseri ap.*
Arumæum tom. 1. disc. juris publ. disc. 20. Thes. fin. inter admi-
 nistrationem Electoralis dignitatis & ab eâ dependentium & ad-
 ministrationem provinciæ hereditariæ. Ad illam alius tutor,
 quam proximus Agnatus dari non potest, quia jus tutelæ & ad-
 ministrationis Electoratus ipsi à lege, *Bulla scilicet Aurea hoc cap. 7.*
 defertur, quod iudicio testatoris amittere non debet, & quia tu-
 telæ Electorali certam formam lex præscripsit, facultatem de il-
 la disponendi homini ademit, *arg. l. 55. ff. de leg. 1. l. 15. §. 1. ff. ad*
L. Falcid. Ad hanc autem testamentarius tutor prælegitimo ad-
 mittendus. Non enim deterioris conditionis sunt Electores in
 iis, quæ Aurea Bulla reliquit sub dispositione juris communis,
 quam cæteri Principes, quibus disponendi potestas de tutela li-
 berorum suorum adempta non censetur *Reusner, lib. 1. consil. 11. &*
hinc Elector Saxonie Christianus I. agnato Friderico Wilhel-
mo tutori Electoratus adjunxit testamento contutorem avum
maternum liberorum suorum Johannem Georgium Electorem
Brandenburgensem, Confer Limn. tom. 1. jur. publ. lib. 1. c. 11. n. 114.
seqq. Klock. Vol. 1. consil. 6. n. 144. seqq. Rumelin. ad A. B. p. 1. disp. 7.
tb. 3. Hæc autem dispositio officium suum perdit, quoties agna-
 tus non adest, aut foemini sexus heredibus tutor dandus est,
 quibus nullum jus in successione ad Electoratum competit. De
 his enim nihil A. B. Itaque ibi jus commune adhuc obtinet, &
 parenti adeo indistinctè, & sic quoque illo casu quoad dignita-
 tem Electoralem atque ea, quæ ab illa dependent, testamento tu-
 torem dare licet. Dicta an etiam in Rege Bohemæ obtineant,

non satis constat. Videtur tamen calculus pro istis ponendus esse, qui affirmant, cum præsertim & de eo in citato *A. B. textu in pr.* clara fiat mentio, nec in seqq. respectu ejus peculiare quid constitutum occurrat, *Conf. Dieteric. ad d. l. pag. 53.*

§. IO.

Ostenfum jam est, tutelam nostram legitimam deferri iis, qui impuberi proximiores agnati sunt & successores, Ejus enim fundamentum præcipuum in delatione successionis consistere videtur, quæ tamen pro diversitate bonorum pupillarium variat. Quippe *jure civili* successio secundum *Nov. 118. c. 5.* sublata inter agnationem & cognationem differentia ad solam gradus proximitatem in bonis allodialibus respicit. In feudalibus verò, cujus qualitatis Illustrum ditiones plerumq; esse solent, ea ratio non obtinet. Unde & diversa tutelæ nostræ conditio; Ac sicuti soli agnati in iis succedere possunt: Ita quoq; soli ad tutelæ onus vocantur, observatâ tamen graduum prærogativâ, ita, ut gradu proximior utrobique remotiores excludat, & pluribus ex eodem gradu concurrentibus senior reliquis anteponatur. Quod eo quoq; casu obtinet, si inter Illustres personas confraternitas propter successionem, adhibitâ Imperatoris confirmatione, inita sit. Ubi enim tum una linea ad unum usq; eumq; impuberem extincta est, illi tutorem eum futurum esse existimamus, ad quem mortuô eô absq; heredibus successio vi confraternitatis est perventura. Si quis feuda antiqua & nova simul possideat, & in his simultaneè investitos habeat, isti non unâ cum agnato, sed hic solus tutor fit, ne administratione inter varios divisa pupillo damnum dari contingat. Secus tamen est, si patrimonii nimis ampli & diffusi conditio aliud postulet, vel etiam pactis quibusdam aut aliâ ratione in certa familia aliter dispositum sit, quippe tunc ex illis potissimum hæc in parte regula petenda,

§. II.

Illud controversum est, si proximior agnatus ipse impubes sit aut minor, quousq; tum impediatur, & an gradu eum subsequens interim admitti, an verò dativus tutor quæri debeat? Sanè cujus ætatis tutor Illustrum esse debeat, non de-

fini-

finitur, unde probabile est, ad jus commune recurrendum illudque hac in parte observandum esse, *Buxt. ad A. B. Tbes. 86. lit. C.* Cœterum quancquam *Rumelinus ad A. B. p. 1. dissert. 7. Tb. 6.* existimet, tali casu proximior agnatum ita à subsequente excludi, ut hic totam tutelam solus administret, ejus tamen sententia satis probata non videtur. Constat namque jure publico claris verbis tale quid statutum non reperiri. Quod si verò jus civile consulamus *l. 10. §. 7. ff. de excusat.* id disertè edici advertimus, quod, ubi minor tutor datus est, interim quidem non molestetur, sed in locum ejus Curator constitui soleat. Ergò major factus, remoto curatore, ipse ad officium admittendus erit. Scilicet cessante causa, effectum etiam cessare oportet. Idque etiam sine dubio *juris Saxon. Conditores movit, ut art. 49. im Weich-Bild* pronunciârunt: *Der nächste ebenbürtige Schwertmagen ist Vormund / und ist er selbst zu seinen Jahren noch nicht kommen / so soll sein Helfer seyn ein anderer / sein ebenbürtiger Schwertmagen / und soll als lange Vormund seyn / bis die Kinder zu ihren Jahren kommen / oder bis daß ihr rechter Vormund ihnen vorstehen kan.* De eo quoque non satis constat, an, si Elector vel ejus filii tutor eo tempore moriatur, ubi pupillus nondum complevit annum ætatis suæ 18. sed aliquot menses tantum adhuc in eo transigendi restent, nihilominus proximior agnatus administrationis officium subire debeat? Hæc quæstio agitata fuit tum, cum anno 1592. Friderico IV. Electoratus Palatini successor post obitum tutoris sui 59. dies ad annum decimum octavum complendum adhuc deessent. Et Richardus Palatinus quidem tutelam ad se pertinere contendebat. Marquardus Freherus autem causæ Friderici Patronus, duabus orationibus docere voluit, novum Administratorem suscipiendum non esse, cum tempus modicum, cujusmodi est duorum mensium, non sit curandum, ac tempus mox complendum pro jam impleto reputandum. Ast verò rationes ejusmodi nullo negotio excut: A. B. textu refutari possunt, & quamvis Fridericus ad administrationem admissus fuerit, illud tamen saltim de facto, aut fortassis singulari aliqua dispensatione contigit. Denique cum sæpius eveniat, ut agnatis deficientibus cognati ad successionem adspirent, dicendum est, eos tum quoque simul ad tutelæ officium admittendos esse.

Illud constat, jure Civili matrem atq; aviam singulari jure ad tutelam liberorum legitimam admitti, & conjunctim quidem, si utraq; ad illam adspiraverit, *vid. Carpz. decis. 122.* modo jure civil. majores 25. annis, hodie in his terris 21. sint & Scto Vellejano, ac secundis nuptiis renunciarent, *t. t. C. quand. mul: tut. offic. fung. poss.* Unde quæritur, an tale quid matri atq; aviæ Illustri etiam concedendum, illæq; adeo tutoribus dativis præferendæ sint, atq; eâ simul ætate esse, itemq; duobus istis beneficiis renunciare debeant? Sanè dispositio juris ante adducti generalis est, nec ab eâ ulla exceptio in matribus aut aviis Illustribus occurrit: Imò potius patet, eandem rationem, quæ in aliis, in his quoq; præsentem esse. Quis enim nescit æquali, imò sæpe majori ac vehementiore affectu eas liberos suos prosequi, quàm alios, eamq; sententiam exempla quoq; confirmant tum in Heinrico IV. Imperatore apud Albert. Stad. ad annum 1056. tum in nostrorum Principum Serenissima Domo, in quâ jam duobus ferè seculis matres tutrices & provinciarum rectrices admissæ sunt. Ibi enim rerum monumenta produnt, quòd non tantùm Theda Hulderici Primi Vidua liberorum suorum Tutrix totam provinciam magna justitiæ & sapientiæ laude rexit, sed & idem de Anna Divi Ennonis Vidua constat, litem ipsi frustra propterea movente Leviro Johanne, Comite Ostfrisiæ. Imò hoc ipso adhuc tempore *Serenissima nostra PRINCIPISSA, DOMINA mea Clementissima* propter *FILIUM* suum impuberem hoc jure utitur. Plura hanc in rem adduxit *Ubbo Emmius, Primus Academ. Groningensis Rector in decad. 6. rerum Frisic. Histor. lib. 58.* Atq; nostro quidem jure eodem privilegio proaviam quoq; uti certum est *ex statutis Frisic. Orient. lib. 2. cap. 240.* ubi omnes majores (*Deveroldern*) ad hoc officium admittuntur. Quod etiam in jure communi locum habere asserit *Schrader. de feud. part. 10. sect. 19. n. 24. & Bachov: ad tit. Inst. de legit. Patron. tut.* Quamvis non omnes consentientes habeat, ut patet *ex Gudelin de jur. noviss. lib. 1. c. 17.* Cæterùm quia de forma hujus tutelæ est, ut hæ personæ secundis nuptiis & Scto Vellejano renunciarent, vix est, ut illud etiam in muliere Illustri omitti queat. Quamquam enim exempla in contrarium alleget *Gometz. var. resolut. tit. de fide-jus. cap. 13. n. 17.*

Vix

Vix tamen est, ut tale quid de moribus temporū nostrorum dici
queat. Non possum mihi temperare, quin hic apponam verba
Beati Brunnemanni ad Auth. *matri atq; avia. C. quand. mul. tut. of-*
fic. fung. pot. Ubi sic habet in §. 5. *Debet etiam mater secundis nu-*
ptiis renunciare apud acta, per expressa Authent. verba, quod etiam
vidi observatum, sed sepius animadverti, hoc non apud nos observari,
sed permitti matribus Tutelam liberorum, & dari matribus curato-
rem ad litem, quod an fiat ex eo, quod jura pupillaria apud nos ne-
glectim & levi brachio tractentur, an verò ex certa observantia in
judicio probata asserere certò non audeo: Et §. 6. inquit: Porro de-
bet etiam renunciare Scto Vellejano, quod scilicet nolit hoc beneficia
uti, sed hoc ipsum rarò observatur. Non negaverim id fieri ex igno-
rantia juris, sed si non renuntiaverit, non tamen posse uti hoc beneficio
dixerim, quia debebat per jura renunciare, ergo quod legi non satis-
fecit, id matri non prodesse, & filio non obesse potest. Et secundum
ea statuere non dubitavit summum Provinciae nostrae Dicasterium
in causa Baronissae de Gødens, quam hoc decreto decidit: Würde
Supplicantin (Frau Margaretha Elisabeth Frentags/Frey-Frau un-
Wittbe zu Gødens) zufförderst gerichtlich entweder in eigener Person/
oder durch einen in specie dazu bevollmächtigten Anwalt der ander-
weitigen Verheyrahung und Wolthat des Sct. Vellejani sich bege-
ben/ und einen Eyd zu Gott schweren / daß Sie alles und iedes/was
ihren minderjährigen Kindern und Pupillen nützlich und gut ist/thut
und handeln / was unnützlich und schädlich / vermeiden/ unterlassen und
verhüten/derselben Güter und Personen in guten Glauben und Trau-
en vertreten / und zum besten versehen / ein Inventarium fürderlich
auffrichten lassen / ihrer Administration und Handlung zu gebühren-
der und rechter Zeit Rechnung thun / mit vollkommener Überliefe-
rung alles des ienigen / so solcher Vormundschaft halber zu ihren
Handen kommen/und mehr besagten ihren Kindern und Pfläglingen
zuständig seyn / wie auch dessen / was sie ihnen schuldig bleiben würde/
und sonste alles anders thun wolle/ was einer getreuer Vormunderin
zustehet und gebühret/ soll sie damit gehöret werden / und ferner erge-
hen was recht ist. Decret. am Gräf. Ostfr. Hoffgericht den 12.
Febr. Anno 1653. Adde quoq; Ferdinandi III. gloriosissimae re-
cordationis Tutorium concessum Ducislae Mecklenburgensi &

B

Prin-

ngu-
tim
mo-
nt &
vand.
atq;
tivis
istis
e ad-
aviis
qvæ
vali,
rose-
mant
num
qvâ
rices
non
atrix
ed &
pro-
hoc
NA
jure
dem.
no-
m est
ever-
om-
. 24.
nes
6. 17.
cun-
tiam
a in
n. 17.
Vix

Principi Anhaltino Anno 1639. d. 10. Octobr. Quod extat in war-
hafften Abdruck der Kaiserl. Resolutionen / etc. in Sachen Meck-
lenburg contra Mecklenburg in p. tutela, pag. 29. Et Fürstl. Braun-
schw. Cankelen Ordn. tit. forma eines juraments so eine Mutter / etc.

§. 13.

Succedit tandem tutela Dativa, quæ tùm locum habet, u-
bi omnes agnati & consanguinei, itemq; alii, ad quos post o-
bitum pupilli successio devenisset, deficiunt, aut adsunt quidem,
sed ipsi adhuc tutelâ reguntur. Atq; eo casu Imperator vel Came-
ra Imperialis concurrentem cum eo Jurisdictionem habens iis,
qui ipsis immediatè subsunt, reliquis verò ordinarius suus ma-
gistratus tutores constituit. Vid. Limn. l. 9. jur. Publ. c. 2. n. 153.
ibiq; cit. Gail. lib. 1. obs. 1. n. 47. Brunnem. ad l. ult. C. de tut. vel cur.
Illustr. Quamquam certum sit, eam rarissimè excerceri, cum præ-
sertim aut Illustrium familiæ ita numerosæ sint, ut vix per Dei
gratiam consanguinei deficiant, aut certè ejusmodi pacta cum
aliis inierint, ut licet in universum extinctæ essent, Successor
tamen adeoq; legitimus tutor haut deficeret. Existimat autem
Schraderus de feud. p. 10. sect. 19. n. 68. seqq. talibus casibus ipsum
impuberis feudi dominum tutelam subire debere. Sed vix est, ut
ejus sententia obtineat, atq; vel ideò in talibus personis ejusmodi
consuetudo admittenda non esset, quia vix propter alia saluti reip.
sue consecrata negotia curis ejusmodi ita, prout res pupillorum
exigit, vacare possent; Nec semper tale quid aliis demandari pro-
ficuum foret. De cætero si omninò necessitatis lex ad tute-
lam dativam confugere cogat, perinde est, sive unus tutor, sive
plures, si præsertim justa causa atq; utilitas pupilli id svadeat, da-
ti sint, sicut etiam in testamentaria datione contingit. Quod
facile exemplis ostendi & confirmari posset, nisi illa unicuiq; jam
satis essent nota.

§. 14.

Anteqvam aliquis tutor constituatur, necessariò quædam
præmittenda sunt, quibus via ad suscipiendam tutelam sterni
possit. Inter ea agmen ducit petitio confirmationis ab eo impe-
tranda, cui pupillus immediatè subest. Hanc mater vel alii ad
quos

qvo
verò
con
cul
l. i.
in te
deci
Ali
po
jahr
Qvo
E ca
con
Uno
tun
Hel
Gilm
tan
eam
rem
jud
dur
ne t
in p
legi
ab
de f
di
re
tor
tio

ma
da
fid



quos ea res spectat, ipsi quoque impuberis Consilarii, imprimis
verò tutor testamento datus, vel à lege vocatus apud istum, qui
confirmare potest, in tempore decenter allegare debet, ne peri-
culum & damnum interim impuberi illatum in ipsum redundet,
l. i. §. i. ff. de administr. tut. vel cur. Quamquam enim jure Civili
in testamentariis & legitimis tutoribus, ejusmodi confirmatio &
decretum haud desideretur, *conf. Bach. ad Wesemb. tit. de tutelis.*
Aliter tamen jure novo statutum est, *vid. reformationem Güter*
Policey de Anno 1548. §. 1577. tit. Von der Pupillen und minder-
jahren Tutorn und Vormundern. add. Carpz. lib. 5. Resp. 82. §. 84.
Quod adeò & in Tutelis Illustrium observari debet, *l. ult. C. de tut.*
§. curat. Illustr. Ut frustra *Zeschlin, in tr. de tut. Elect. legit. c. 7. n. 679.*
contrarium propter Illustrium autoritatem probare annisus sit.
Unde nec isti in judicio absq; tutorii exhibitione unquam admit-
tuntur, *ad. Hahn. ad Wesemb. pag. m. 219. atq; responsum Jctorum*
Helmstadiensium ibi adductum. Peritz. ad cit. tit. Cod. n. 1. Adrian.
Gilmann. tom. 1. symphor. p. 2. supplis. 1. Cæterum hæc petitio in
tantum necessaria est, ut nec testator in ultima voluntate sua
eam tutori futuro remittere queat. Scilicet cum remissio ipsam
rem feudalem concernat, Vasallo in Domini vel aliùs tertii præ-
judicium nihil circa eam disponere licet. Unde illos, qui inter-
dum propria autoritate absq; præviâ confirmationis impetratio-
ne tutelæ se immiscuerunt, non rarò propterea à S. C. Majestate hæc
in parte officii sui admonitos fuisse, in Actis quibusdam publicis
legitur. Quamquam autem hæc confirmatio hodie ut plurimum
ab altissimè jam commemorata Cæs. Maj. peti soleat, *Rosenthal.*
de feudis. cap. 12. conclus. 10. n. 64. seqq. dubium tamen, velut jam
dictum, nullum est, quin & ipsum apud Cameram Imperialem
rectè fieri possit. *Vid. Gail. lib. 1. obs. 1. n. 47.* Unde non rarò in tu-
toriis talibus hanc clausulam insertam videmus: Salvo præven-
tionis Cameralis jure, &c

§. 15.

Antequam autem ad hanc petitionem subsequatur confir-
matio, solennis cautio, quæ fit juramenti præstatione atq; satis-
datione; à tutore futuro requiritur, scil. ut pupillus per eam de
fidei ejus administratione tantò securior reddatur. Hæc enim

nulli-tutorum remittenda est, *conf. Const. Carol. V. in Comit. August.*
Anno 1548. promulgatam tit. Von der Pupillen und minderjäh-
rigen Kinder Tutorn, tit. 31 §. 4. & Rudolphi II. de Anno 1577.
 Juramentum tamen ab Illustribus in propria persona rarius, sed
 semper fere per alios speciali mandato atq; manu propriâ ipsius
 Principis subscripto, *vid. Decis. Camer. voce; Tutela, ad hoc instru-*
ctos, in animam principalium dicitur. Satisfactionem quod con-
cernit, illa quidem aliàs datis fidejussoribus præstatur l. 9. ff. rem
pupilli salv. for. l. 7. de prator. stipul. quia eo modo pupillus melius
indemnisi servari potest, l. ult. C. de jur. domin. impr. sed tale quid
rarius hodie frequentatur, quia in omni datione inquisitio adhi-
betur, per quam de tutoris conditione judex certus efficitur. Un-
de cum præsertim pupillis tutorum bona tacite oppignorata sint,
l. 20. C. de administr. tut. Cautio ferè tantum sub oppignoratione
bonorum fieri solet. Nisi fortè tutor legitimus egenus sit, aut in
concurso plurium unus propter cautionem in administratione
aliis præferri cupiat, vid. Carpz. cit. lib. 5. R. 82. Observavit au-
tem in Personis Illustrium Besold. in thes. pract. voce, Vormünde-
tere/ quod non tantum eadem jura respectu hujus cautionis ob-
tineant ex formula juramenti tali casu præstandi, quæ extat in
Ord. Cam. Imp. part. 1. tit. 76. sed etiam, quod ipsis certi Consiliarii
tutelares adjungi soleant, quibus & pupilli educatio & ipsa bo-
norum administratio committatur, ea tamen lege, ne in causis
præsertim arduis citra consensum ipsorum Tutorum quicquam
efficere audeant. Atq; ubi superior judex ex officio illos adjungit,
illorum quoq; fides juramento obstringenda est, ut tanto melius
utilitatibus impuberis invigilent. Illud autem minimè, licet ali-
u dde principalibus Personis modò assertum sit, per alios præstare
possunt, sed ab ipsis dici oportet. Satisfactionem tamen non præ-
stant, quia rarò ipsorum facultates tantæ sunt, ut pupillis per
eas satis cautum esse possit, nihilq; ab iis facile absq; ipsorum
Tutorum assensu & præscitu suscipiendum est, ex quo impuberi
damnum inferri queat.

§. 16.

Atq; his præmissis confirmatio sequitur, quæ per *Attestatum*
 aliquod, ut vocant, fieri solet, quod duobus modis exhibetur,
 vel

vel per *Breve*; quod vulgò einen *Schein zur Anzeige* dicunt, atq; nudam tantum petitæ confirmationis mentionem continet, adjuncto mandato ad eos, qui solenne Tutorium desuper expedire & conficere solent, vel per *Extensum*, quod est ipsum Tutorium. Queritur autem, an illud semper in iudicio, ubi Tutor propter Illustrem comparet, exhibendum sit, an verò Breve vel etiam tantum testamentum quo Tutor aliquis datus est, ostendi sufficiat? Et quamvis illud affirmandum videatur, aliter tamen hoc posteriori casu comparatum est. Quippe non sufficit de delatione tutelæ saltim fidem fieri, sed & concessio administrationis probanda est, quod demum per Tutorii exhibitionem fieri potest. Secundum quæ in iudicio Hassiæ iudicatum esse refert pluribus hanc sententiam defendens *Vultejus Jurispru. Rom. lib. 2. cap. 3.* Quamvis dissentire sciam *Berlich part. 1. conclus. 16. & Gaill. lib. 1. Observ. 107.*

§. 17.

Confirmationem excipit exercitium officii Tutoris, quod vel principale est, vel minus principale. Illud sibi curam personæ, hoc verò bonorum impuberis vindicat. Primum itaq; Tutor præcipuè curare debet, ut pupillus in virtutibus ipsum decentibus accuratè educetur. Si enim ullibi ratio ejus, certè in Illustribus Personis tantò magis habenda est, quò certius est, cum ea totius territorii, quod habent, salutem conjunctam esse. Modum ejus pro ingenio suo exposuit insignis *Savedra* in ideâ Principis, statim ab initio. Illud itaq; non sufficit, ut de victu & amictu saltim impuberi pro suâ conditione prospiciatur, sed hoc quoq; imprimis opus est, ut in religione, literis ac moribus ita instruatur, prout res postulat; ut ad artes regnandi assuefiat, atq; iis, quæ ad illas eò melius & perfectius cognoscendas facere possunt, omnibus modis cum curâ imbuatur.

§. 18.

Porro sicuti privatorum Tutores negotia à pupillis gesta autoritate suâ confirmare debent, eaq; absq; hac in tantum invalida sunt, ut nec naturalem obligationem producant, *l. 41. ff. de con-*

de condict. indeb. leg. 59. de Oblig. & Act. Ita nihil obstat, quo minus tale quid de Illustrium Tutelis, quoties præsertim ipsorum præjudicium vertitur, quoque affirmemus. Imò ibi illa tantò magis videtur necessaria, quò majus in talibus negotiis impuberum præjudicium sæpe versatur. Debet etiam ea statim purè in ipso negotio à Tutore interponi. Aliàs enim, cùm solennitas juris sit quæ ab actu dividi non potest, frustranea est, *leg. 19. ff. de Auctorit. tut. Wesemb. in paratit. ibidem num. 4.*

S. 19.

Officium secundarium, ceu dixi, curam bonorum respicit, quam Tutores privatorum tutò subire nequeunt, nisi ante inventarium confecerint, *l. 27 C. de Administ. tut. vel curat. Rec. Imper. de Anno 1548. tit. Von der Pupillen und minderjähri- gen Tutoren & c. in tantum, ut si in negotio, quod moram ferre potuit, ante ejus confectioem quid egerint, nihil fecisse existimentur, l. 7. ff. d. t.* Nisi propter prohibitionem testatoris vires patrimonii sui pandere nolentis, aut aliam sufficientem causam id neglectum sit, *l. 4. C. quando & quib. quart. pars.* ubi tamen nihilominus Tutori incumbit, ut sibi propter futuram rationum redditionem bona impuberis privatim consignet. *Carpz. Jurisp. forens. part. 2. Const. 11. defin. 4. junge eundem supra citato lib. 5. R. 82.* Hæc autem quamvis in Tutelis privatorum ita obtineant, in Illustribus tamen consignatio tam exacta immobilium præsertim atque debitorum non adeo in usu est, quia principatum ratio aliæque circumstantiæ agrè id permittunt, & prætereà in archivis tam secretioribus, quam communibus ita expressè ac clarè jam consignata sunt, ut alia annotatione opus haut esse videatur. Unde in causa ejusmodi in celeberrimo quodam Juriscons. collegio ita responsum fuisse accepimus. *Weis der Kaiserliche Bescheid stracks auff die Policeny Ordnung weist/und nach selbiger der Vormunds End/ so nach Inhalt des tit. 32. S. 3. in der Policeny Ordnung ab zu legen/an die Hand giebet / etc. Halten wir dafür/das bey einem Fürstenthum in besagter Policeny-Ordnung vorgeschriebnes Inventarium aller und ieder Güter liegends und fahrens sammt den Schuld-brieffen sich nicht wohl machen läst / weil derglei-*

dergleichen in denen Registraturen/Saal und andern Büchern aufgezeichnet zu finden / daß also nichts davon kan verlohren oder entwendet werden. &c.

§. 20.

III. His observatis ipsa administratio suscipitur. Atque in eâ quidem Illustris eandem habet potestatem atq; Tutor ex classe privatorum assumptus. Nam & ipse per omnia Domini loco est, *l. 27. ff. de administ. tut. vel curat.* Excepta procuratoris constitutione & successione hæreditatis, quæ negotia personalissima sunt, adeoq; non nisi interventu impuberis fieri possunt, *vid. l. 13. §. 2. C. de jure deliber.* Ita tamen se gerere debet, ut omnia ad impuberis emolumentum dirigat, nisi seipsum periculo supponere malit. Unde nec alienare per se potest bona præsertim immobilia, quorum conservatio pupillo expedit, *l. 22. C. de administ. tut. vel curat.* Nec alicui propter pupillum aliquid donare, quandoquidem illud perdere est, *l. 7. ff. de donat.* nisi honestatis ac decoris lex, præsertim in bene meritis, aliud svadeat, quod in talibus personis magis atq; in privatis probandum, quoniam interdum ad virtutem & splendorem earum pertinet, in alios liberalitatem conferre, *vid. l. 12. §. 3. ff. d. t. Gail. lib. 2. Obs. 72. Carpz. parr. 2. Constit. II. definit. 48.* Cùmq; administratio etiam patrimonii tam locupletis absq; sumptibus hautquaquam exerceri queat, eas quoq; Tutori tali impensas erogare licet, quibus pro negotiorum qualitate opus est. Imò & ipsi interdum salarii quoddam, modo non immodicum sit & majus, quam pro pupilli facultatibus & patrimonio, præsertim si extraneus sit, ac pupillum nulla conjunctione attingat, in præmium navatæ operæ constitui potest, quod ei invidendum non est. Neq; enim æquum est, ut officium suum alicui damnosum sit, *l. 7. ff. testam. quemad. aperiant.* Unde non præter rem existimavit *Besoldus in thes. pract. voce Vormund* / quod Tutori Personarum Illustrium, quoad administratio durat, etiam alimonia pro conditione status sui ex bonis pupilli dari debeat. Quæ ipsa suò modo in Consiliariis quoq; tutelaribus, quorum supra mentio facta, obtinent.

§. 21.

Sæpe & hoc contingit, ut uni tutelæ tali plures, ceu jam supra dictum, Tutores præficiantur. Cùm enim in privatis hoc locum inveniatur, cur in Illustribus non obtineret? Sanè ex historiarum monumentis constat, Regem Angliæ Henricum VIII. monstrosum illud Caput, Filio Eduardo. XVI. Tutores præfuisse, confer *Thuan. lib. 3. Histor.* Hiero quoq; Rex Syracusanorum XV. liberis suis reliquit, teste *Livio lib. 24.* Alia exempla vid. apud *Carol. Sigon. lib. 1. de Occiden. Imp.* Ne verò aliquis hoc aliis in terris atq; temporibus saltim licitum fuisse existimet, scripta supra commemorati Gothofr. & Freheri intueri potest, & non multum dissimilia de nostrorum P. P. familiis quoq; reperiet. Neq; enim minor hac in parte ipsorum potestas esse potest, atq; privatorum hodie est. Quando itaq; plures tutores Illustri Personæ testamento dati sunt, quæstionis est, an omnes ad administrationem sint admittendi? Et quamvis omnes administrare possint si velint, melius tamen ac tutius est, ut hoc ad unum vel paucos, eosq; præ aliis magis idoneos perveniat. Unde is, apud quem confirmatio petenda, ea in re partes suas interponet *l. 3. §. 6. ff. de administr. tut. vel curat. l. 2. C. quand. & quib. quart. Pars.* Pulchrè *Arist. lib. 1. Polit. cap. 2.* Sæpe fit, ut præsumptione & fiduciâ alterius operæ, totum negligatur, ubi plures administrant. Plures autem vel pro diviso, vel pro indiviso rem gerunt. Ibi singuli partibus suis præsent, earumq; nomine tantum Tutelæ periculo tenentur. Hic omnes, adeoq; & periculum ipsis commune est, *l. 4. §. 24. §. 1. & l. fin. ff. d. t. l. 1. §. 2. C. si ex plurib; tut. ibiq; Brunneinan. addatur Carpz. part. 1. Decis. 26. n. 5.* Eadem & in Tutela Dativa locum habere possunt, vix autem in Legitima. Unde etiam in causa, quam *A. B. supra cit. loc.* tractat, non nisi unicæ personæ administratio committi potest, sicuti ad eam confirmat *Limonæus in notis suis Observat. 23.* Illud addimus, Tutores imò Tutrices quoq; Illustrium, qui Status Imperii sunt, etiam statûs jura nomine pupillorum exercere posse, sessionemq; & suffragium in comitiis Imperii habere. Sic comitiis Ratisbonensibus Anno hujus seculi 40. & 54. celebratis, à novem Tutricibus

cibus Principissis & Comitissis nomine suorum liberorum legati interfuere, *vid. subscriptio Recess. Imperii de Anno 1641. pag. 57. & seqq.* Uti quoque in Patria mea tutores Nobilium & Dynastarum statuum jure gaudentium in Comitibus Provincialibus pupillorum suorum nomine comparent. *Osterhus. Accord. artic. 37.* Dicta nunc non parum illustrari possint verbis Tutorii à Cæsarea Majestate Serenissimæ Principissæ Eleonoræ Mariæ, Ducissæ Mecklenburgensi, & Principi Anhaltino Ludovico Anno 1639. die 10. Octobr. dati. Unde temperare mihi nequeo, quin illud auß den wahrhafften Abdruck der Kaiserlichen Resolutionen in Sachen Mecklenburg / Contra Mecklenburg in p. tutela, pag. 29. apponam. Ita autem sonant: Thun auch solches von Röm. Kaiserl. Majestät Macht und Vollkommenheit hiermit wissentlichen in Krafft dieses Brieffes / und meinen setzen und wollen / daß gedachte Herzogin Eleonora Maria zu Mecklenburg / und Fürst Ludwig zu Anhalt E. L. obbenanntes Herzogs Hansß Albrechts zu Mecklenburg nachgelassener unmündiger Kinder und Pupillen Tutores und Vormünder seyn / von männiglichen davor geehret / genennet und gehalten werden / gemeldter Pupillen Personen / Fürstenthum / Land / Haab und Güter / nichts davon außgenommen / inner und außferhalb Rechts / wann und so oft solches die Gelegenheit und Nothdurfft erfordert wird / in unser / als aller Wittiben und Waisen im Reich Obersten Vormünder Nahmen / wie sichs gebühret / versehen / vertreten / und versprechen / derselben Ruh und Frommen und Bestes nach allen Vermögen befördern / dagegen Nachtheil und Schaden abwenden / und fürkommen / auch endlich / wenn es die Nothdurfft erfordert / und von ihren E. L. begehret werden wird / von der getragenen Vormundschaft gebührliche Rechenschaft / Rede und Antwort geben / auch sonst ins gemein alles andere thun und handeln sollen / was getreuen Vormündern und Vormünderinnen zu stehet und gebühret / und sie solches gegen Gott den Allmächtigen am Jüngsten Gerichte / vermöge der Pflicht un Eyden / so uns oft ged. Herzoginne cum renunciatione secundarum nuptiarum & Scti Vellejani durch unsern un des Reichs lieben getreuen Zachariam Overz / c. geleistet / zu verantworten getrauen / getreulich ohne arge List und Gefährde / wie wir dann auch solche Vormundschaft / wie es zu Recht

C

am

am beständigsten geschehen kan / soll oder mag / hiermit confirmiret
und bestätigt haben wollen.

§. 22.

Sicuti autem omnis Administrator ad rationum redditi-
onem est obstrictus: Ita non minus Tutores nostri. Quamquam
enim videri poterat eos ad hoc non teneri, cum, ceu supra dictum,
immunes sint ab inventarii confectione, *vid. Gail. lib. 2. Observ. 138.
n. 6.* Favor tamen atq; utilitas impuberum, ut secus existime-
mus, non permittit, praesertim cum ex supra dictis pateat, fun-
damentum ad talem rationum redditionem in illis personis facile
aliunde haberi posse, cum sit, quod Inventarii defectum supple-
at. Nec rationem jam adductam Gailii semper locum invenire
patet *ex l. 32. C. de Episc. & Cler. & Nov. 131. c. 15.* Illud tamen
constat, moribus receptum esse, ut plerumq; Illustrium Tutorum
Ministri, Quæstores & Præfecti, Dominorum loco eas reddant.
Es ist unter geistl. (Fürstl. etc.) Personen üblich die Rationes per
eos, qui rem gesserunt, justificiren zu lassen / *vid. Autorem replicat.
in causa Lippe C. Lippe / pag. 58.* Debet autem ad Imperato-
rem vel Cameram supplicari, ut Commissarius deputetur, qui
aut ipse rationes recipiat, aut citet Tutorem ad reddendum ra-
tiones pupillo sub certa pœna, in quam etiam postea condem-
nari potest, si hac in parte ea, quæ officio suo incumbunt, non
observaverit, uti videre est *ex Decis. Cam. Imp. verb. Tutor. §. &
sanè pupillus, &c.*

§. 23.

Atq; in hac rationum redditione tam exactè procedendum
est, ut non tantum latae, verum etiam levis, non tamen levif-
simæ culpæ præstatio à Tutore exigere debeat. Quamquam autem
per diligentiae exactissimæ observationem pupillis omnium o-
ptimè prospici possit, iniquum tamen visum fuit, Tutores, qui
plerumq; invitati ad hoc officium accedunt, ad eam quoq; simul
obligare. Unde sufficere visum fuit, si tempore administrationis
Tutor Illustris fecisset ea, quæ Princeps alius, tanquam bonus
Paterfamilias in rebus suis omissurus non fuisset. Qui verò secus
fecit,

fecit, ad damnum propterea pupillo illatum, cum omni interesse refarciendum, tenetur.

§. 24.

Obtinetur ea omnia per actionem Tutelæ directam. Quippe hæc ideò comparata est, ut tali casu contra Tutores possit institui. Describitur, quod sit actio personalis, *l. 1. §. 18. ff. de tut. & rat. distrab.* Civilis, quæ datur pupillis, eorumq; heredibus, contra Tutorem ejusq; heredes. (Quamquam enim Tutela morte extingvatur, effectus tamen ejus, præsertim respectu actionis hujus, manet, atq; in heredes transit) ad ea, ad quæ propter administrationem Tutor tenetur. Atq; ubi plures quidem Tutores à testatore vel iudice pari potestate impuberi præpositi fuerunt, contra omnes in solidum conceditur, *l. 55. ff. de administr. tut.* ita tamen, ut si unus tantum ex illis administravit, ante omnia, sicuti & successor ejus excuti debeat, *l. 39. §. 11. ff. eod.* Si non omnes solvendo sunt, inter istos, qui satisfacere possunt, actio dividitur, & prout quisq; solvendo est, convenitur, *l. 1. §. 12. d. t.* Si in administratione Tutelæ partes à testatore vel iudice factæ sunt, quisq; tantum pro parte sua pupillo obligatus est, *l. 51. ff. eod. l. 3. §. ult. ff. de tut. & ration. distrab.* Secus si ipsi inter se tantum tutelam dividerint, tunc enim singuli in solidum tenentur, ita tamen, ut quoties pupillus ab uno suum recepit, ei deinde actiones suas contra contutores cedere debeat, *l. 55. ff. de admin. tut. vel curat. l. 2. C. arbit. tut. ibiq; Gothofr. in not.* Planè, si quid in rationibus prætermisum, hæc actio denuò repeti, *l. 2. C. de judic.* atq; etiam unà cum hypothecaria contra possessores rerum, quæ Tutorum sunt, conjungi potest, *l. 20. C. de admin. & peric. tut.* Illud tamen notandum, quod, quamvis contra Tutores ipsos etiam propter culpam levem detur, heredes tamen non nisi propter latam sint obstricti, *l. 1. C. de hered. tut.* Quod hac in parte singulare est, cum aliàs in ipsis conditio obligationis à defuncto contractæ non mutetur, *l. 2. §. 2. ff. de V. O. Vid. Carpz. p. 2. C. 11. definit. 35.* Aliter tamen se res habet lite cum defuncto jam contestata, vel si ipsius defuncti dolus intervenerit, tunc enim unà cum dolo levis culpa quoq; in successore vindicatur, *vid. d. l. 1. & Hahn. in not.*

ad Wesemb. tit. de tut. & rat. distr. n. 4. Sed & hoc observandum, quod, cum non semper Illustres ipsi, ceu ostensum, administrationis onus subeant, sed Consiliariis quibusdam committant, eo casu in hos, non in illos, hæc actio concedatur. Nisi & ipsis culpa quædam imputari possit, fortè quod debitam inspectionem neglexerint. Tunc enim dubium non est, & ipsos pariter eo nomine conveniendos esse, cum præsertim & in honorariis tutoribus hoc observari soleat, *arg. l. 3. §. 2. ff. de administr. & peric. tut. add. Carpz. l. 5. R. 92. seqq.*

§. 25.

Porro datur etiam contra Tutores actio de rationibus distrahendis, quamquam in Illustribus vix putandum, ut casus ejus facilè eveniat. Describitur, quod sit actio personalis, mixta, quæ pupillus agit contra Tutorem ad consequendum duplum ejus, quod ipsi interversum, nec in rationes relatum est. Dicitur personalis, propterea, quia ex delicto est, *l. 1. §. 23. ff. de tut. & rat. distr.* Mixta, quia partim ad rei, partim ad pænæ persecutionem datur. Quamquam enim *d. §. 23.* eam tantum pænalem appellet, certum tamen est, quod non merè talis haberi debeat. Quod enim duplo rei quoque persecutio insit, confirmat *l. 2. §. 2. ff. d. tit.* Quamvis etiam *l. 1. §. 20. eodem* statuatur, eam ex eodem cum anteriore fundamento descendere, inde tamen colligi nolim, quasi & hæc ex quasi contractu dependeat. Sed Ictus ibi hoc tantum innuit, utramque ex uno facto descendere, scilicet ex mala administratione, quæ diversas tamen actiones producat. Neutra autem regulariter ante Tutelam finitam in Illustribus Tutoribus locum habet.

§. 26.

Ut ne ex adverso Tutoribus etiam ex tutela damnum oriatur, illi quoque adeo tantò lubentius eam subeant, ipsorum gratiâ contraria tutelæ actio recepta est; quamvis aliàs pupillus sine tutore obligari aut hic in rem suam pupillum vincire nequeat. *l. 1. §. 9. ff. de aut tut. vel curat.* Quæ & ipsa civilis est ac personalis, daturque tutori ejusque heredi, contra pupillum ejusque heredem, ad recipi-

recipiendum id, quod in res & negotia pupilli de suo bona fide atq; ex officio impendit, aut propterea perdidit. Personalis vocatur, quia ipsa quoque ex tutelae gestione descendit. Et licet *l. i. ff. de contr. tut. act.* à Præatore proposita dicatur, illud tamē ab eō nō tanquam Autore, sed tantum tanquam juris civilis ministro intelligi debet. Unde omninō respectu originis est juris civilis. Nihil autem interest, sive tutori actu, seu potentiā tantum aliquid absit, quia eo quoque casu actio locum habet, si tantum ei quid abfuturum est, *l. fin. ff. de cont. tut. act.* modo exinde emolumentum in pupillum probabiliter ex intentione Tutoris redundare potuisset. *l. 3. pr. § 7. ff. de tut.* Nulli namque officium suum damnosum esse debet, *l. 61. §. 1. ff. de furt. add. Carpz. p. 2. C. 11. defm. 40.* Ac sicuti Tutor pupillo ad solvendas usuras quandoque obstrictus est: Ita ipsi quoque earum repetitio non est interdicta, nisi in substantia pupilli pecunia sit, quā sibi satisfacere potuisset, *d. l. 3. §. 5.* Sed & Tutor molestiam hujus actionis evitare volens, compensationis jure propter hæc credita contra impuberem uti potest, *l. 1. §. 4. d. r.* Illud adhuc quæsitum est, an & salarium quoddam hac actione peti possit? Negatur, etiamsi Tutor propria negotia omittre interdum propter pupillum coactus fuerit, *d. l. 33. in fin. ff. cit. tit. Berl. p. 1. Decis. 134. n. 3. seqq.* Nisi justa ex causa superior nominatim illud tutori constituerit, *Carpz. d. l.* Quamquam enim citati autores de privatorum tutelis tantum loquantur, nullibi tamen in Illustribus aliud statutum & receptum esse apparet, imò par & in iis ratio hæc in parte militat, Unde nihil obstat, quominus & de iis idem jus affirmemus. Omnia quoque in tutelariū Consiliariorum personis hōc modō obtinent, ita tamen, ut in casu, ubi solvendi non sunt, principales tutores in subsidium conveniantur, quia vix absque culpa esse possunt, dum vel eos ad hoc officium admoveri passi sunt, vel ad illorum administrationem non exactius attenderunt. Unde consultum est, si tale quid ab iis metuatur, sæpius rationum redditionem exigere, ut tantō diligentius & rectius rebus pupillaribus invigilent.

§. 27.

Denique non rarō Tutela Illustrium in curam transit, atque ad tempora majorennitatis usque continuatur. Quapropter eo

C 3

casu

casu hætenus propositæ actiones propter illam continuationem facta demum administrationis plenaria resignatione conceduntur, ut peculiaribus & novis propter curam opus non sit. Cùm enim his ipsis Scopis præfixis plenè obtineatur, cur præter necessitatem actiones & lites multiplicarentur? Aliter existimandum, si Tutor curatoris munus simul subire nolit. Illud enim detrectare cupiens omninò audiendus est. Atq; eo casu statim minor contra ipsum experiri potest. Porrò inter Illustres actio utilis curationis causa locum quoq; invenit. Nam & hac in parte etiam communi cum privatis jure fruuntur. Ipsa quoq; exstipulatu actio interdum locum habet, puta cùm Illustris Tutor propter Apanagium ei dari solitum, nulla vel exigua bona immobilia possidet. Quamquam enim nihilominus soli juratoriae promissioni tùm relinqvatur, & rarò ad aliam cautionis præstationem urgeri soleat, solet tamen quandoq;: Scilicet quoties ejus conditio ita comparata est, ut facile appareat, sine illa absq; præsentis impuberis periculo ipsum ad Tutoris officium admitti non posse. Et tunc sanè dubium non est, quin exstipulatu actio in fidejussorem locum inveniatur. Planè hoc quoq; certum, actionem subsidiariam in præsentiarum locum invenire. Quoties enim vel Imperialis Camera, vel alius judex competens Tutorem, sed minus dignum atq; idoneum elegit, adeoq; propterea culpæ alicujus argui potest, dicendum utiq; est, propter paritatem rationis pupillum ab ipso quoq; per actionem subsidiariam damnum sibi illatum repetere posse.

§. 28.

Dicendum quoq; est, quo in foro tutelæ actiones moveri debeant. Tenendum autem, omnem Tutorem apud eum judicem conveniendum esse, à quo datus est. Cùm itaq; suprà dictum sit, quod, ubi pupillus, quippe cui Tutor à Magistratu, cui ipse subest, præfici debet, immediatè Imperio subfit, ei vel ab Imperatoris consilio aulico, ut Camera Imperiali Tutor sit dandus, consequens est, tùm ibi quoq; Tutorem conveniendum esse, *vid. Reichs-Hofraths Ordnung tit. 2. §. So wollen wir*

wir auch. Et Recess. Imper. noviss. §. Ebenmässig / 166. Item
Capitul. Moderni Invictissimi Imperatoris nostri, §. Auch sol-
len und wollen wir / 42. vers. die an Kayserl. Cammer Ges-
richte / &c. Aliàs autem coram ordinario iudice pupilli, Vid.
Franz. l. 1. Resolut. 16. & seq.

§. 29.

Restat, ut tandem despiciamus, quibus modis Tutela no-
 stra expiret. Possunt autem ad duas classes reduci. Contingunt namq; vel ante, vel post Tutelam susceptam. Illuc spectat excusatio, quæ est allegatio immunitatis à tutelæ onere. Et quamvis jure Civili variæ causæ adsumtæ sint, propter quas privati immunitatem obtinere queunt. In Illustrium Personis tamen non omnes locum inveniunt, sed iudex æstimare debet, quæ in iis attendi potissimum debeant. Quamvis etiam processus juris civilis quoad earum allegationem, l. 13. §. 1. l. 38. & passim in tit. de Excusat. tut. vel. Curat. præscriptus, in illis quoq; observari debeat, quia jure Publico nihil ea in parte mutatum reperitur; Respectu tamen temporis excusationem prosequendi & finien- di non undiq; tempus quadrimestre tam exactè observatur. Nec semper potest, quia non omnium judiciorum conditio & modus procedendi hoc permittit. Quod si tamen tutori in pro- tractione culpa imputari possit, credibile est, tum quoq; , ut jus Civile vult, eum excusandum non esse. Præterea quoq; re- cusatio huc pertinet. Quoties enim alia causa adest, ob quam Tutor admittendus non videatur, ab initio remitti potest. Me- lius enim est in tempore pupillum indemnem præstari. Quod & in Tutela Electorali locum invenire posse videtur, scil. si consi- lium S. Cæsareæ Majestatis & Electorum illud è re pupilli fore existimaverint. Illud quæsitum est, an Mater & Avia propterea quoq; recusari possint, quod ad hoc officium in tempore se non obtulerint? Scil. cum omnes alii Tutores ad subeundum illud munus moneri, certo quoq; modo cogi queant, in istis tamen Personis secus est. Habent enim facultatem ad liberorum Tute- lam adspirandi ut beneficium, adeoq; liberè ommittere & negli- gere possunt. Ut autem pupillus diu indefensus non relinqva-
 tur

tur, placuit, quod intra certum temporis spatium se declarare debeant, velint ne in se suscipere Tutelam vel non. Quod vulgò 4. Mensium creditur, & disputatur, an postea venientes adhuc admitti debeant? Et omninò placet, quia hoc tempus in casu simili tanquam decretorium & præcisè observandum nullibi receptum est. Nec annum quidem, ut voluit, *Honed. vol. 2. conf. 51. n. 15.* Et *Reusn. lib. 1. Conf. 11. n. 73. & seqq.* Sed de eo in universum Judex arbitrabitur, quia legibus nihil certi expressum est, *arg. l. 1. §. 2. ff. de jure delib. Card. Tusch. pract. conclus. lit. T. conclus. 4. Marefchot. lib. 1. variar. resolut. c. 71. n. 10. cum seqq. Vid. Hahn. in not. ad Wesemb. part. post. pag. 214.* Et Præjudicium J. Consultorum Helmstadiensium ibi allegatum. Unde, si antequam mater legitime recusari possit, alius datus sit Tutor, certum est, dationem istam matri, non obesse. *Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 8. thes. 3. lit. E.* Sicuti etiam quando initio eam suscipere noluit, & Tutor dativus, antequam pupillus pubes factus, mortuus sit, nihilominus tamen adhuc ad eam adspirare potest. *Christin. decis. Belg. vol. 3. Decis. 46. num. 11. & seqq.*

§. 30.

Constat, quod Creditor & Debitor pupilli etiam Illustris Tutor ejus fieri nequeat, nisi debitum vel creditum coram Magistratu patefecerit, idq; adeò, ut si Tutelam susceperit, ipso jure debitum vel creditum amittat, *auth. min. C. qui dare tut. vel cur. pos.* Ne instrumenta debiti vel solutionis facile inverti queant. Unde quæsitum est, an & ob debitum vel creditum superveniens Tutor recusari possit, verbi gratiâ, si ipsi actio contra pupillum ab alio cessa sit, &c. Quod negandum. Quamquam enim, nisi petierit, ut ei propterea curator adjungatur, debitum perdatur, illudq; impuberi accrescat, *Nov. 72. c. 2. Carpz. 5. R. 88.* Nisi modicum, vel matres aut alii ex ascendentium numero Tutelæ officio præpositi sint, quibus casibus doli præsumptio cessat, ut statuit *Berlich. decis. 257. n. 22. & seqq.* Recusationis tamen pœna nullibi expressa, adeoq; nec tali casu observanda est. *Carpz. part. 2. Const. 11. Definit. 20. & lib. 5. R. 87. & seqq. adde quoq; Richar. decis. 12.*

§. 31.

§. 31.

Ob crimen suspecti non tantum recusatio, verum etiam remotio locum habet. Non tantum enim in Tutelæ officio, sed & ante suspectus fieri potest, §. 5. *Inst. de suspect. tut. vel cur*: Suspectus autem est, qui non ex fide Tutelam gerit. Habet verò remotio tantum locum, quando Tutor doli & culpæ latæ argui potest, quia ob levem ne privatus quidem Tutor ut suspectus removetur, l. 7. ff. de suspect. Tut. Tantum abest ut Illustris. Quamquam propter fidei in talibus Personis exuberantiam vix casum ejusmodi posse contingere existimè. Deniq; & tunc Tutor recusari potest, si adimplere nolit ea, quæ à testatore ipsi injuncta sunt v. g. quando circa regiminis modum vel alia normã ipsi præscripsit. Quoniam enim illud summa deliberatione putatur factum, opera omninò danda, ut ad exitum perducatur queat. Aliter tamen in Tutela Electorali dicendū videtur: Hanc enim lex defert, adeoq; tali casu Tutoris voluntas interverti nequit. Unde Cæsar & Consiliū Electorū rogandum, ut partes suas interponant & Tutorem ad adimplendam testatoris voluntatē disponant. Dissentit *Klock Vol. 1. Cons. 6. Quest. 4.*

§. 32.

Sequuntur nunc modi tutelam susceptam finiendi, qui summi possunt vel ex persona tutoris, vel pupilli. Illuc pertinet mors tutoris tum naturalis, tum civilis, atq; allegatio immunitatis, ubi tamen nihilominus pupillus aliis tutelæ subicitur. Huc verò mors eadem pupilli atq; ejus pubertas. Hæc, cum olim ex corporum inspectione ex mente Cassianorum æstimaretur, teste *Ulpiano in fragm. tit. 11. §. ult. & Quintilian. lib. 4. inst. Orat. c. 2.* Proculianis ex ætate illam judicantibus & definiuntibus, posteriori imprimis sententiæ Imperator noster accessit, statuens eã in masculis. 14. in fœminis. 12. anno completo finiiri, l. fin. C. *Quando tut. vel cur. esse def.* Unde quæsitum, quid in Illustrium personis hinc habendū sit? Sanè constat regulariter dicendū esse, quòd in iis quoq; termini isti obtineant, quia jure publico nihil hac in parte mutatum occurrit, unde certum est, tutorem hac ætate à pupillo transacta, aut in his terris anno 13. cum 6. septimanis respectu rerum feudalium, teste *Carpz. part. 2. const. 11. def. 9.* ab instantis curæ onere excusare se volentem, atq; ad tutelæ rationes reddendas se offerentem,

D

rentem,

de
lgò
huc
casu
re-
conf.
sum
arg.
f. 4.
n. in
um
giti
nem
. E.
ati-
nus
vol.
fris
la-
ure
cur.
ant.
ens
ab.
pe-
tur,
Nisi
telæ
, ut
ena
px.
ckæ.
31.

rentem, omninò audiendum esse, cum nemo invitus duplici onere gravari debeat. *Gail. lib. 2. obs. 96. Carpz. part. 2. const. 11. de fin. 10.* Ut mirandum sit, contra manifestam experientiam contrarium statuisse *Gudel. de jur. noviss. & Vinni. ad prin. Inst. Quib. mod. tut. finit. n. 5.* Aliud tamen observandù, quando in certis familiis secus dispositum est, & præterea imprimis quoque in tutela Electorali, quippe quæ vigore A. B. usque ad impuberis Electoris annum 18. completum continuanda est, & tunc demum ipsi administratio quæque ad eam spectant, à tutore assignari, status provinciales ac ministri & subditi à juramenti fide, quam ipsi per homagium omni casu initio gestionis secundum receptam in Germaniæ terris consuetudinem præstare solent, vel ore tenus, vel per literas aut legatos liberari debent, in tantum, ut nec parens in testamento terminum istum vel ampliare vel restringere queat. Illud in quaestione est, si eò tempore, quo in anno 18. exiguum spatium, duorum vel trium mensium puta, tantum impuberi adhuc transigendum restat, tutor moriatur, an nihilominus novus per tempora ista pupillo dari & præesse debeat? Et quamvis *Limnæus* neget tùm de hoc, tùm de isto casu, si parens Elector moriens filium ad eum ætatis terminum jam evectum relinquat *in Observ. 31. ad cit. tit. 7. §. 2. A. B.* atque exemplum supra à nobis adductum de tutela *Friderici IV. Electoris Palatini* adducat, cui patruus tutor *Johannes Casimirus* decesserat, cum saltim 59. dies in tutelâ ipsi transigendi restarent. Et frustra *Richardus Agnatus* subsequens ei in officio succedere annisus est. Contrarium tamen §. 11. jam asseruimus, quod & hîc sequemur. Sed interdum nihilominus singulari jure terminus iste anticipari potest, quoties scilicet Imperatori & Collegio Electorali impuberi Electori ob sufficientem causam veniam ætatis concedere placet, cujusmodi exemplum de *Joachimo I. Brandenburgico Electore* notum, cui nondum completo 16. anno talis venia concessa legitur. Tandem quoque quidam modi speciales occurrunt, ut matrimonium in matre atque avia, quippe quod ipso jure tutelam quoque extingvit. *Nov. 94. cap. 2.* Item diei vel conditionis existentia, ad quam testamento tutor datus est, §. 3. *Inst. §. 16. §. 1. ff. de tutel.* In eo enim, qui à magistratu datus, adjectio diei & conditionis locum non habet, nisi ad diem vel conditionem testamento tutor datus sit, tunc enim eo usque alius datur,

tur, iisq; advenientibus tutela quoq; dativa finitur §. 1. *Inst. de Atti-
liano tutore.* De cætero consiliariorum tutelarium officia una cum
principalium tutorum administrationib; finem suum accipiunt,

§. 33.

Plura addere temporis angustia prohibeor, quâ ob sus-
cipiendæ peregrinationis institutum coarctor. Quamquam e-
nim multa adhuc non solum adducenda, sed & adducta latius
atq; accuratius deducenda fuissent, materiæ tamen difficultas
atq; ingenii mei tenuitas tale quid per mittere noluit. Er-
gò hæc sufficiant pro exercitio Academico fugiente calamo con-
scripto. Qui plura volet, adire poterit, *Limn. Rumelin. ad A. B.*
tit. 7. Freher. Daniel. Otto. Andr. Classen. de Tutel. lit. C. & seqq.
von Vormundschaft der Fürsten über ihre Kinder / Mercure François.
Tom. 13. c. 6. n. 6. Besold. Thes. præd. v. Vormünder & Tr. de tutel.
Dion. Gothofredum de tutela Electorali, & quem primo loco no-
minare debebam, Dn. Huldéricum Eubenium, Antecessorem Helm-
stadiensem famigeratissimum, in elegantissima disputatione de
Tutela Fœminea, aliosq; in ipsa disputatione à nobis laudatos atq;
allegatos. Ego interim hisce concludo versiculis.

*Gloria sit PATRI, NATO sit gloria sancto,
Gloria SPIRITUI, TRIADI sit gloria sanctæ.*

Qui genus humanum sibi subiectosq; tuentur,
Sæpe opus his, ipsos qui tueantur, habent.
Scilicet haut primis usus rationis ab annis,
Serus sæpe nimis Regibus iste venit.
Tales exponis, quâ sint ratione tuendi,
Tutelæq; hujus jura modumq; doces.
Sarta Patrum Patriæ sic porro jura tueri
Perge, & ab his tutelæ experiere vicem.

AUG. BENEDICTUS ZARPZOV.

D. & P. P. h. t. Acad.

RECTOR.

D 2

GENE.

GENERO SO
DOMINO RESPONDENTI SUO

Cum piô votô app.

PRÆSES.

Illustrum Tutela quæ sit Principum,
Ingens Paterni & clara stella stemmatis
Edisserit solerter & doctè satis.

Sic est! Ut ignis nescit æternùm tegi,
Tandem serenum latius spargit jubar;
Sic indolem sublimiorem pectoris
Dotes latere non sinunt. Pergas rogo,
Felix, & Orbis gratulabitur sibi.

IN Cathedræ celsô, celsus qui nomine, gente,
Quanta paras? Quo Te torret amica Themis?
Disquiris doctè tractans sublimia jura,
Stirpis & ingenii nobilitate nites.
Nempe hæc nobilitant, quæ tentans, faustiter ergò
Inceptam propera continuare viam.
Sic Tua perpetuis clarescent nomina fastis,
Sic Magnus Magni Patris ad instar eris.

Egregiis Nobiliss. ac Generos. Dn.

RESPONDENT.

Conatibus applaudens imq;
scrib.

ANDREAS Weidlich. J. U.
Doctorand.

Quo

Quò tua Te Virtus? Quorsum generosa
Cupido
Reptat, ut Eunomia pulpita sacra premas?
Scilicet occulto pectus stimulatur ab igne
Quoq; vocat Proavum gloria cana volas:
Quos si continuis imitabere gressibus inter
Nobilium Proceres splendor apricus eris:
Splendor in Illustri Frisonum Principis Aulâ,
Ingenii doctas quisquis amabit opes.

HISCE

Generoso Dn. RESPONDENTI, Fautori ac
Conterraneo suo colendo gratulari, eiq;
itinere, quod propositum habet, peracto
felicem in Patriam reditum adprecari
voluit,

T. CONRING.

AURICÂ FRIS. ORIENT.

TUTELAM tractat LUDOVICUS PRIN-
CIPIS; Illi
Convenit (ecquis enim dubitet) sic no-
men & omen;
Annoni pacificus FRIDERICUS jure vocetur,
Nobile qui nomen Gentis non quærit in armis,
Sed se ROMANO, sub PRÆSIDE legibus armat
Fortiter? ô HOHNSTED! cupis alta profundaq;
& ima.

D 3

Perge

Perge diu felix Patriæ decus, adsit Ihova
Semper quò foveat Te spes pulcherrima dulcis
Per Te dirigier Patriæ quoq; Munera posse.

Hæc Paucula

Nobilissimo, Generoso ac Doctissimo Dn.
Conterraneo suo ac Amico præful-
gido in proni affectus *ἡμετέρου*
apposuit.

ALR. HEYENGAH. F. O.

CLari clara petunt. Non est mortale, quod optat
Ignea mens. Etenim Sidera Sidus amat.
Dum de TUTELIS agitas ILLUSTRIBUS, ut Te
TUTELA ILLUSTRIS, seruet, AMICE, precor.

Pauca hæc Generoso Domino ab Hon-
stede, Cognato suo, & Amico fraterno, Jenâ
Lipsiam transmittere voluit, debuit.

HENRICUS à WERSABE,
Eqves Fris. Orient.

PAlladios doctâ cum tentas voce Triumphos,
Stemmatis, HONSTEDI, gemma decusq; tui
Audiit en! plausitq; Themis terrasq; revisens,
Hujus sub Clypeo nunc ero tuta, canit.

Generoso Dn. DISPUTANTI sin-
cerum fraterni amoris adfectum
testandi gratiâ Lipsiam transiens, app.

Christoph Wilhelm von Wegnern.
Eqves Prussus.

Jô

Jô triumphe ! Pierias domûs,
Sacrata Musis atria pandite,
Ascendit applaudente turbâ
Eunomiæ Themidosq; miles
HONSTEDI, avorum degener haud nepos,
I, perge felix, I voluceri pede;
Qvò ducit ardor, qvò Cupido
Atq; animi generosa virtus;
Intaminatas ingenii rosas
Multòq; nisu progenitas opes
Exprome soli, qvas aprico
Invidus haud paries revelat.
Parata Coelo laurea Te manet,
Exercitatum proripe dexteram,
Ac invidendis ampliâre
Laudibus emeritam labora
Domûs avitæ gloriam, imagines,
Et scripta fastis nomina. Serviet
Fortuna coeptis ac serenum
Fama vehet famulante coelo.

Amicorum ocello
gratulabundus scrib.

Herm. Dvverhagen,
Bremenf.

Ceu Rosa per campos, ceu splendent sidera Coelo
Talis in orbe micat, Nobilitatis honos,
Adjicis **HONSTEDI** virtutis ritè nitores,
Et geminâ clarus nobilitate micas.

*Generoso Amico meo & Contubernali multum ju-
cundo hæc paucula apponere voluit.*

I. P. T. Ellebracht,

Mein Freund/du giebst uns schöne Früchte/
Die dir dein Fleiß herfürgebracht:
So treibt die Gluth/der Tugend Macht/
Dein Lohn muß seyn ein schön Gerüchte!

Dieses wenige hat seinem Herrn Bet-
ter wünschen wollen.

A. H. von Hagen/
sonst Geist genannt.

Ad
Generosum atq; Nobilissimum

Dn. RESPONDENTEM.

Illustres lustras , illustras atq; tueris
Tutelas tutè, juraq; ritè doces,
Coepum illustre tuum summo *Tutere tuere,*
Sub quâ *Tutela* Tu bene tatus eris

hec scribebat

Ditericus à Schönberg.
Eqves Misnicus.

Perge bonis avibus , doctam conscende cathedram,
Sterne secuturo , Frater amande, viam.
Gratulor ex animo , *Superum* Te gratia Nobis
Servet & omnigenâ prosperitate beet.


Ita

*Fratri suo natu maximo frater natu minimus è sin-
cero fraterno amore optare voluit ac debuit*

Carolus Joachimus ab Honstede,



107



DISERTAT
 A
 LTESSE
 ISSIME,
 GNEUR,
 GNEUR,
 STIEN
 HARD,
 DE LA
 IENTAL,
 D'ESENS,
 F ET VVIT-
 &c. &c.

